

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo XCV

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

tamen commendatur distinctio personarum. ubi eis qui recte intellē-
gunt. numquam uideri potest separatio naturarum. quod autem sequi-
tur. & cum uenerit. ille arguet mundum de peccato & de iustitia & de iudi-
cio. De peccato quidem. quia non credunt in me. De iustitia uero. quia
ad partem uado & iam non uidebitis me. De iudicio autem. quia princeps mun-
di huius iudicatus est. Tamquam solum sit peccatum non credere in xpm. &
tamquam ipsa sit iustitia non uideri xpm. & tamquam ipsum sit iudicium qd
princeps huius mundi. hoc est diabolus iudicatus est. Valde latebrosus ē.
nec isto sermone coartandum est. nefiat obscurius breuitate. sed alio poti-
us quantum dñs adiuuerit explicandum.

INCIPIT SERMO XCV DE EXOEM LECTIOE.

Promittens dñs missurum se spm scm. Cum uenerit inquit. ille
arguet mundum de peccato & de iustitia & de iudicio; quid est hoc.
numquid nam dñs xps non arguit mundum de peccato cum ait.
- Si non uenissem & loquutus eis fuisset peccatum non haberent. nunc
autem excusationem non habent de peccato suo. sed ne forte quis dicat hoc
ad eos proprie pertinere. non ad mundum. nonne ad mundum. nonne
ait alio loco. Si de mundo essetis. mundus quod suum esset diligeret. num-
quid non arguit de iustitia ubi ait. pater iuste mundus te non cognouit.
numquid non arguit de iudicio. ubi se ait sinistris esse dicturum. te in
ignem aeternum qui paratus est diabolo & angelis eius. & multa alia reppe-
riuntur in sco euangelio. ubi de his xps arguit mundum. quid est ergo qd
tamquam proprie tribuit hoc spui sco. An forte quia xps in iudaeorum
tantum gente loquutus est. mundum non uidetur arguisse. ut ille intel-
legatur argui qui. audit arguentem. Sps autem scs in discipulis eius toto
orbe diffusis non unam gentem intellegitur arguisse. sed mundum; nam
hoc illis ait ascensurus in caelum. Non est uestrum scire tempora quae pa-
ter posuit in sua potestate. sed accipietis uir tatem sps scs super uenientem
in uos. & eritis mihi testes in hierusalem & in tota iudaea & in samaria & usq.
in fines terrae. hoc est arguete mundum; sed quis audeat dicere. quod per
discipulos xpi arguit mundum sps scs & non arguat ipse xps. cum clamet
apostolus. an uultis experimentum accipete eius qui in me loquitur xps.
Quos itaq. arguit sps scs. arguit utiq. & xps; sed quantum mihi uidetur quia
per spm scm. diffundenda erat caritas in cordibus eorum. quae foras mit-
tit timorem quo impediri possent. ne arguete mundum qui per sequatio-
nibus fremebat auderent. propterea dixit. ille arguet mundum. taquam
diceret. ille diffundet in uestris cordibus caritatem. sic enim timore depulso

arguendi habeatis libertatem; saepe autem diximus inseparabilia esse
 operam trinitatis. sed singillatim commendandas fuisse personas. ut non
 solum sine separatione. uerum & iam sine confusione & unitas intelligatur
 & trinitas; exponit deinde quid dixerit. de peccato & de iustitia & de
 iudicio; De peccato quidem inquit. quia non crediderunt in me. hoc enim
peccatum quia solum sit. prae caeteris posuit. quia hoc manente. caetera de-
tinentur. & hoc discedente. caetera remittuntur. De iustitia uero inquit. quia
 ad patrem uado & iam non uidebitis me; hic primo uidendum est. si recte
 quisq. arguitur de peccato. quomodo recte arguatur & de iustitia; nūquid
 enim si arguendus est peccator propterea quia peccator est arguendū
 quisquam putat & iustum propterea quia iustus est. absit; nam & si
 aliquando iustus arguitur. ideo recte arguitur. quia sicut scriptum est.
 non est iustus in terra qui faciat bonum & non peccabit. Quo circa & iam
 cum iustus arguitur. de peccato arguitur. non de iustitia. quoniam & in illo
 quod legimus diuinitus dictum. Noli effici iustus multum. non est notata
 iustitia sapientis. sed superbia praesumentis; qui ergo fit multum iustus.
 ipso nimio fit iniustus; multum enim se facit iustum quid dicit se non habe
 re peccatum aut quise putat non gratia dī sed sua uoluntate sufficiente effici
 iustum; Nec recte uiuendo iustus est. sed potius inflatus. putando se esse
 quod non est. Quo pacto igitur mundus arguendus est de iustitia. nisi de
 iustitia credentium; Arguitur itaq. de peccato quia in xpm non credit.
 & arguitur de iustitia eorum qui credunt; ipsa quippe fidelium compara
 tio. infidelium est uituperatio; hoc & ipsa expositio satis indicat. uolens enim
 aperire quid dixerit. De iustitia uero inquit. quia ad patrem uado & iam
 non uidebitis me; non ait & iam non uidebunt me de quibus dixerat. quia
 non credunt in me. sed peccatum quid uocaret & exponens. de illis loquutus
 est dicens. quia non credunt in me. Exponens autem quam dicit & iusti
 tiam de qua dixit. mundus arguitur. ad ipsos quibus loquebatur. se conuertit
 atq. ait. Quia ad patrem uado & iam non uidebitis me; quia propter mundus
 de peccato quidem suo. de iustitia uero arguitur aliena. sicut arguuntur
 de lumine tenebrae. Omnia enim quae arguuntur aut apostolus. a lumine
 manifestantur; quantum enim malum sit eorum qui non credunt. non
 solum per seipsum. uerum & iam ex bono potest eorum apparere qui cre
 dunt; & quoniam ista uox infidelium esse consueuit. quomodo credimus quod
 non uidemus. ideo credentium iustitiam sic oportuit definiri. quia ad patrem
 uado & iam non uidebitis me. Beati enim qui non uident. & credunt; nam
 & qui uiderunt xpm. non in eo laudata est fides eorum quia credebant quod

uidebant. id est filium hominis. sed quia credebant quod non uidebant.
id est filium dei; cum uero & ipsa forma serui subtracta eorum esset aspectus;
tunc ~~ita~~ ex omni parte implendum est. iustus ex fide uiuit. Est enim fides
sicut in epistola quae ad hebraeos est definitur. sperandarum substantia con-
uictio rerum quae non uidentur. sed quid est. iam non uidebitis me. Non
enim ait ad patrem uado & non uidebitis me. ut temporis interuallum quo
non uidebitur. significasse intellexeretur. siue breue siue longum tamen utiq;
terminatum; sed dicendo iam non uidebitis me. uelut numquam eos de caetero
uisuros xpm ueritas praenuntiavit; haec sane iustitia est. numquam xpm ui-
dese & in eum tamen credere. cum propterea laudetur fides ex qua iustus ui-
uit. qm credit quem modo non uidet xpm se aliquando esse uisurum. pos-
tremo secundum hanc iustitiam. numquid dicturi sumus paulum apostolum
non fuisse iustum. confitentem se uidisse xpm post ascensionem eius in
caelum. De quo utiq; iam tempore dixerat. iam non uidebitis me. Numquid
secundum hanc iustitiam iustus non erat gloriosissimus stephanus. qui cum
lapidaretur ait. Ecce uideo caelum apertum & filium hominis stantem ad
dexteram dei. Quid ergo est. ad patrem uado & iam non uidebitis me. nisi
quomodo sum cum uobis cum sum. Tunc enim adhuc erat mortalis in simi-
litudine carnis peccati. qui esurire poterat. ac sitire. fatigari. atq; dormire.
hunc ergo xpm id est talem xpm. cum transisset de hoc mundo ad patrem.
non erant iam uisuri. & ipsa est iustitia fidei de qua dicit apostolus; & si no-
ueramus xpm secundum carnem. sed nunc iam non nouimus; erit itaq;
inquit uestra iustitia. qua mundus arguetur. quia uado ad patrem & iam
non uidebitis me. qm in eum quem non uidebitis. creditis in me; & quando
me uidebitis quod tunc ero. non uidebitis me quod sum uobis cum modo;
non uidebitis humilem sed excelsum. non uidebitis mortalem sed sempi-
ternum. non uidebitis iudicandum sed iudicatorem. & de hac fide uestra
id est iustitia uestra arguetur sps scs incredulum mundum; arguetur & iam
de iudicio. quia princeps mundi huius iudicatus est. quis est iste. nisi de-
quo ait alioloco. Ecce uenit princeps mundi & in me nihil inueni & id est
nihil iuris sui. nihil quod ad eum pertineat. nullum scilicet omnino pecca-
tum; per hoc enim est diabolus princeps mundi; non enim caeli & terrae
& omnium quae in eis sunt. est diabolus princeps; qua significatione intel-
ligitur mundus ubi dictum est. & mundus per eum factus est; sed mundi
est diabolus princeps. de quo mundo ibi continuo subiungit. atq; ait. &
mundus eum non cognouit. hoc est homines infideles. quibus toto orbe
terrarum plenus est mundus. inter quos gemit fidelis mundus. quem de-

mundo elegit per quem factus est mundus. de quo ipse dicit. Non uenit fili-
 us hominis ut iudicet mundum sed ut saluet mundus per ipsum. mundus
 eo iudicante damnatur. mundus eo subueniente saluatur. Quoniam sicut arbor
 foliis & pomis. sicut apaleis & frumentis. ita infidelibus & fidelibus plenus
 est mundus; princeps ergo mundi huius. hoc est princeps tenebrarum harum.
 id est infidelium de quibus eruitur mundus quibus dicitur. fuistis aliquando
 tenebre. nunc autem lux in domino. princeps mundi huius de quo alibi dicit. nunc
 princeps mundi huius missus est foras. utique iudicatus est. quoniam iudicio ignis
 aeterni irreuocabiter destinatus est. & de hoc itaque iudicio quo princeps
 iudicatus est mundi. arguitur a sancto spiritu mundus. quoniam cum suo principe iu-
 dicatur. quem superbus atque impius imitatur. Si enim dominus sicut dicit aposto-
 lus per angelos. peccantibus angelis non pepercit. sed carceribus caliginis inferi
 & rudens tradidit in iudicio puniendos seruari. quomodo non a sancto spiritu de
 hoc iudicio mundus arguitur. quando in sancto spiritu haec apostolus loquitur.
 Caedant itaque homines in christum. ne arguantur de peccato infidelitatis suae
 quo peccata omnia deinde inentur. transeant in numero fidelium. ne arguan-
 tur de iustitia eorum quos iustificatos non imitantur. Caueant futurum
 iudicium. ne cum mundi principe iudicentur quem iudicatum imitantur.
 & enim ne sibi existimant & parci superbia dura mortalium. de superbiorum
 supplicio terrenda est angelorum.

**INCIPIT SERMO XCVI DE EO QUOD DICIT. ADHUC MULTA
 HABEO UOBIS DICERE SED NON POTESTIS PORTARE MODO.
 CUM AUTEM UENERIT ILLE SPIRITUS UERITATIS DOCEBIT
 UOS OMNEM UERITATEM.**

In isto sancto euangelii capitulo ubi dominus ait discipulis suis. Adhuc multa
 habeo uobis dicere sed non potestis portare modo. prius quaeren-
 dum illud occurrit quomodo superius dixerit. Omnia quae audiui
 a patre meo nota uobis feci. & hic dicit. adhuc multa habeo uobis dice-
 re sed non potestis portare modo; uerum illud quomodo dixerit quod
 nondum fecerat tamquam fecerit. sicut ea quae futura sunt dominum fecis-
 se propheta testatur dicens. qui fecit quae futura sunt. iam cum ipsa
 uerba tractarem ut potuimus exposuimus; nunc ergo quae ista sint
 quae apostoli tunc portare non poterant. uultis forsitan scire; sed quis
 nostrum audeat eorum se dicere iam capacem. quae illi capere non uale-
 bant. ac per hoc nec a me expectanda sunt ut dicantur. quae forte non
 caperem. si mihi ab alio dicebantur. nec uos ea portare possitis. & iam si ego
 tantus essem ut a me ista quae uobis altiora sunt audiretis. & fieri quidem